MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCLXXXV ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

D. III. IUL. CIƆIƆCCCXXVIII.

H. L. Q. C.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

M. IOANNES THEOPHILUS KREYSSIG,
ILLUSTRIS SCHOLAE AFRANAE PROFESSOR SECUNDUS.

Commentationis de C. Crispi Salustii Historiarum Lib. III. Fragmentis, ex bibliotheca Christinae, Suecorum Reginae, in Vaticanam translatis, Pars I.

MISENAE,
EX OFFICINA KLINKICHTIANA.

Quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat? nusquam incurrat?

CICERO.

COMMENTATIONIS

DE

C. SALUSTII CRISPI

HISTORIARUM LIB. III. FRAGMENTIS,

EX BIBLIOTHECA CHRISTINAE, SUECORUM REGINAE,

IN VATICANAM TRANSLATIS,

PARS I.

Quae ante hos decem et septem annos, instituti ratione proposita atque opusculi specimine dato [1]), cum Fragmento Liviano, quod a Brunsio, Iuvenatio et Niebuhrio ex codice Vaticano eoque palimpsesto erutum denuo nuper cum integris Livii libris evulgavi, editurus eram C. Salustii Crispi [2]) Historiarum Lib. III. Fragmenta, ea nunc peculiari libello, ne nimiae cunctationis reus agerer et virorum doctorum exspectationem destituisse viderer, non solum multo pleniora atque emendatiora, quam olim potuissem, sed etiam in iustum ordinem redacta exhibere placuit. Priusquam autem ad rem ipsam accedimus, operae pretium fuerit diligentius docere, quo tempore et qua ratione haec Salustii Historiarum fragmenta, quae partim minus lacera per duo ferme saecula cum dimidio in compluribus operum Salustiano-

1) Vid. Acta Seminarii Regii et Societatis Philologicae Lipsiensis, Vol. II. Part. II. p. 432. sqq. et p. 545. sqq. atque nostram Epistolam ad Goellerum, p. 472. sqq.

2) Vulgarem nominis et cognominis ordinem mutandum atque pro Sallustius, quod adhuc obtinuit, Salustius scribendum esse, argumentis idoneis comprobavit Gerlachius in sua operum Salustianorum editione, quae Basileae a. 1823. et 1827. prodiit, Vol. II. Part. I. p. 2. sqq.

rum editionibus auctarii loco ceteris adiecta reperiuntur, partim magis mutilata per satis longam annorum seriem vix uni et item alteri, quorum infra mentio habebitur, innotuisse videntur, partim misere discissa et quasi dilaniata nunc demum editis adduntur, ex bibliothecarum latebris in lucem protracta sint, ac de externa pariter atque interna eorum indole accuratius exponere [3]).

Ac primum quidem Ianus Douza sive Dousa saeculo sexto decimo exeunte tria horum fragmentorum, quae in hoc libello primum, quartum et septimum locum obtinent, ex vetustis et Servianis Petri Danielis schedis, ut obscuris et ambiguis Dousae verbis utar, Lutetiae Parisiorum descripta atque ab Andrea Schotto ad Iustum Lipsium gratificandi causa Lugdunum Batavorum transmissa cum adnotationibus criticis edidit et Salustio iure meritoque vindicavit [4]); confidentius hac de re pronuntiaturus, si locum: *Ac statim fugitivi contra praeceptum ducis rapere ad stuprum virgines matro-*

3) Cf. Charles de Brosses Histoire de la République Romaine, dans le cours du VIIe. siecle; par Salluste. A Dijon, 1777. Tom. II. p. 146. sqq. sive Vol. III. p. 347. sqq. ex Schlüteri translatione, ubi tamen a Brossio, id quod ex sequentibus apparebit, alia praetermissa, alia falso prodita sunt.

4) In libello rarissimo: Iani Douzae, Nordovicis, ad C. Sallustii Crispi Historiarum libros Notae: cum luculenta Fragmentorum aliquot accessione hactenus non editorum. Antverpiae, 1580. quem Heynius olim ex bibliotheca Gottingensi mihi subministravit, p. 50. haec leguntur: „Fragmenta tria, quae promissi exsolvendi [sc. causa, quod saepe „omitti docuit Schwebelius ad Lamb. Bosii Ellipss. Grr. p. 707. sq. ed. Schaef.] deinceps „sum subiecturus, ex vetustis et Servianis doctissimi Petri Danielis schedis, necdum pu„blicatis, Lutetiae descripta atque inde porro ad C. V. Iustum Lipsium ab adolescente „lectissimo, Andrea Schotto, gratificandi causa Lugdunum nostram transmissa, alius „neminis, quam Sallustii esse, quovis pignore contendere ausim. Cui rei argumenta primo „stylum dico, quem ego adeo omni ex parte Sallustiano dicendi generi respondere, pro„bare posse videor, ut lac lacti similius esse non queat: deinde servilis belli tractatio„nem, quam Sallustium in his Historiarum suarum libris exsecutum esse, quum ex ali„quot superioribus fragmentis, tum vero ex Ausoniana illa duodecim annorum computa„tione [Idyll. XXXII, 62. sqq.] ita examussim compertum iam pridem atque exploratum „habemus, ut satisacceptione nobis eius rei causa opus non sit. Abessent tantum caecae „liturae illae, tot barbariae mendis ac maculis coopertae, quibus ipse, hercule, eluen„dis sat esse non possum. Neque enim fullonicam didici. Proinde uti eapse exarata ac„cepi, ita repraesentabo. Ceterum fides sit penes exscriptores."

nasque, quem Nonius Marcellus [5]) ex tertio Salustii Historiarum libro protulit et Dousa ipse fragmentum septimum praecessisse recte suspicatus est, extremam fragmenti sexti particulam esse intellexisset [6]). Ex hoc autem fonte parum limpido illa ipsa, quae Dousa primus evulgavit, fragmenta in permultas operum Salustianorum editiones ita derivata sunt [7]), ut partim ad Dousae coniecturas refingerentur, partim aliis modis interpolarentur: quod

5) De proprietate sermonis, cap. 6, 44. in Auctoribus Latinae linguae cum notis Dion. Gothofredi. Genevae, 1585. p. 741. sive p. 456. ed. Mercer. quae Lipsiae a. 1826. repetita est. Quum alia, quae supersunt, operis Salustiani fragmenta perspicue doceant, Salustium belli servilis, quod Spartacus concitavit, historiam libro tertio comprehendisse, nullius fere momenti est auctoritas codicis, quem in Nonii Marcelli loco Sallust. Hist. lib. IIII. pro Sallust. Hist. lib. III. exhibere monuit Lud. Carrio in Scholiis in Sallustii Historiarum libros. Antverpiae, 1579. p. 210.

6) Brossium Dousae libello caruisse, vel ex iis apparet, quae Tom. II. p. 147. de Dousa, cuius prologum recentiores quaedam Salustii editiones in breve coactum exhibent, hunc in modum scripsit: „Il ne joignit même aucunes notes ni corrections aux trois pages qu'il „imprimoit; se contentant de dire là-dessus, qu'il n'étoit pas assez adroit pour rendre „le lustre à une étoffe si tachée. Tot mendis ipse eluendis sat esse non pos„sum; neque enim fullonicam didici. Uti eapse exarata accepi, ita re„praesentavi. C'est probablement pour cette raison, qu'il n'a donné que trois des „six pages, et qu'il a négligé de faire imprimer les trois autres, comme plus défectu„euses encore." Dousam enim sexti saltem fragmenti et haud dubie secundi quoque ac tertii apographum a Lipsio non accepisse, ex eius adnotatione ad fragmentum septimum perspicue intelligitur.

7) Hoc plerumque lemmate praefixo: „Hactenus Fragmenta florentissimi rerum Romanarum „scriptoris, quae exstare putamus. Cetera quae sequuntur, in Ms. Servio legi auctor „est V. Cl. Andreas Schottus. Fides sit penes ipsum: sane in optima illa Honorati edi„tione nuper a Petro Daniele IC. procurata non comparent. Corruptissima sunt, et me„dicinam contulit V. N. Ianus Dousa, quem vide in Fragmenta Sallustii." Ita quidem in editione Putschiana paullo post commemoranda p. 191. legitur: in aliis editionibus nonnulla sunt omissa. Similiter etiam Brossius Tom. II. p. 146. de iisdem fragmentis: „Ils „furent trouvés, inquit, à la bibliotheque du Roi dans le seizieme siecle, et, à ce qu'il „semble, avec un manuscrit du Commentaire de Servius sur Virgile. André Schott en „envoya une copie à Leyde à Juste-Lipse, pour être jointe à une nouvelle édition de „Servius, que Pierre Daniel préparoit alors; et dans laquelle néanmoins ces fragmens ne „se trouvent pas." Quantopere autem obscura Dousae verba: ex vetustis et Servianis Petri Danielis schedis, quibus non ipsos Servii commentarios, sed codicis antiqui Historias Salustianas olim complexi reliquias cum manuscriptis Servii commentariis

utrum in editione Putschiana[8]), quae Lugduni Batavorum a. 1602. prodiit, an alia antiquiore primum fuerit factum, id quidem non habeo dicere, atque ab aliis certiora edoceri cupio. Post Doussam, septuaginta circiter annis interiectis, Isaacum Vossium[9]), quum codices Petavianos, a Christina, Sueciae regina, cum aliis coemtos, Holmiae pervolutaret, in eadem Sallustii Historiarum fragmenta incidisse, et ipse olim in libello huius opusculi praenuntio[10]) suspicatus sum, et Christophorum Saxium[11]) ante me idem esse auguratum, postea non sine summa voluptate intellexi, quum eventus

repertas significari, Brossius ibidem bene demonstravit, viris doctis imposuerint, ex sequentibus apparebit.

8) Ebertus saltem in Lexico Bibliographico, Vol. II. p. 695. No. 2008. huius editionis titulo verius forsitan, quam accuratius, haec adscripsit: Die Fragmente sind aus dem Servius vermehrt.

9) Is enim in epistola ad Nic. Heinsium, Holmiae a. d. IV. Id. Iul. a. 1651. data, quae Burmanni Syllogae Epistolarum a viris illustribus scriptarum, Tom. III. p. 619. inserta legitur, haec scripsit: „Porro in hac nostra Petaviana multa et Aldhelmi, et similium „auctorum scripta exstant inedita. Sed nondum otium fuit illis pervolvendis: hactenus „enim melioribus, ut mihi quidem videtur, vaco. Et sane nullus transit dies, quo non „aliquid sese offerat novi. Hoc ipso die, quo haec scribo, incidi in duo folia stupen„dae antiquitatis, quae postquam diligentius adspexi, statim conieci esse fragmenta de„perditarum Sallustii Historiarum. Continent illa bellum servile Crixi et Spartaci. Non „potuisset vel tu vel alius in lacrimas me pronior siccis ea oculis intueri. Attamen non „ideo minus dolui. Et sane quis non doleat et indignetur tam divini auctoris tam laceras „videre reliquias? Forsan [Scr. Forsitan et vid. Wyttenbachii Opuscc. selectt. ed. Frie„demann. Vol. I. p. 327. sq. nostrasque Adnotatt. ad Hirt. Bell. Afr. cap. 45.] ante pauca „saecula delirus aliquis bibliopola, ut missalia aliasve vestiret ineptias, totum consumpsit „opus, paucaque haec nobis reliquit, non tam solatio, quam maerori.“

10) Ita inscripto: C. Crispi Sallustii Historiarum Lib. III. Fragmentum cum quinque aliis in bibliotheca Parisiensi olim repertum. Schneebergae, 1811. in quo p. 4. loco ex Is. Vossii epistola excerpto haec adieci: „Quibus quidem verbis, in Fabricii Biblioth. Lat. Lib. „I. cap. 9. Tom. I. p. 239. ed. Ern. laudatis, nostra fragmenta innui, haud multum ab„est, quin mihi persuadeam.“

11) Hic enim in Onomastico Literario, Part. I. p. 166. „Hac opportunitate data, inquit, „praeterire non possum, quae memini me legere in Isaac. Vossii Epistola LIV. ad Nic. „Heinsium p. 619. Tom. III. Sylloges Burmann. eum inter Petavianos codices, quos „Christina, regina Sueciae, emerat, reperisse duo folia stupendae antiquitatis, quae

opinioni nostrae egregie respondisset. Triennio post [12]) Ioannes Freinshemius, quem cum Vossio Holmiae in aula Christinae aliquamdiu vixisse maximaque huius reginae gratia floruisse constat, et Saxius id, quod erat, suspicatus iisdem foliis, in quae Vossius se incidisse narrat, usum esse existimavit [13]), quinque horum fragmentorum, quae in hoc opusculo primum, secundum, quartum, sextum et septimum locum occupant, passim correcta ac resarta, et minutas tertii particulas Supplementis Livianis a se concinnatis inseruit [14]) simulque, has operis Salustiani reliquias ex Bibliotheca Regia, non Parisiensi, quae Bimardi, Brossii, Gerlachii aliorumque fuit opinio, sed Holmiensi, id quod ex sequentibus apparebit, depromptas esse, in libri margine adnotavit [15]). Denique, annis octoginta amplius elapsis, Iosephus de

„quum diligentius adspexisset, statim coniecisse, esse fragmenta deperditarum Sallustii „Historiarum: continuisse enim bellum servile Crixi et Spartaci. Ea autem folia, quoad „argumentum, schedis Iac. August. de Chevanes, Icti quondam Divionensis, examussim „respondere videntur."

12) Supplementorum Freinshemianorum pars secunda, quae Lib. LX. cap. 5-10. haec Salustii fragmenta continet, biennio post auctoris obitum prodiit cum prima iterum edita, hoc titulo praefixo: Supplementa Liviana. Auctore Ioh. Freinshemio. Argentorati et Francofurti, 1662. At Freinshemium iam a. 1654. non Argentorati, ut Brossius ait, sed Vormatiae hanc operis praeclari partem absolvisse, post Douiatium docuit Crevierius Tom. I. p. 654.

13) Onomast. Literar. Part. I. p. 168. ubi: „Saltem iisdem fragmentis, inquit, in quae „Vossius se incidisse narrat, etiam Freinshemius usus esse videtur. In margine enim „§. V. antestatur Sall. Fragm. ex Biblioth. Reg. quibus notis significari posse puto „Bibliothecam Reginae Christinae." Quod quidem ille verissime monuit.

14) Vid. Supplem. Freinshem. Lib. LX. in locum Liv. XCV. cap. 5-10. Tom. IV. p. 672. sq. ed. Douiat. sive Tom. IV. p. 722. sqq. ed. Crev. sive Tom. VI. p. 360. sq. ed. Drak. sive Vol. IX. p. 373. sqq. ed. Bipont. sive Tom. X. p. 278. sqq. ed. Lemar. sive Tom. XIII. p. 338. sq. ed. Stutgard.

15) Quum Freinshemius non solum cap. 5. Sallust. Fragm. ex Biblioth. Regia, sed etiam cap. 9. Sallust. Fragm. adscripsisset, Crevierius verbis: Multa demum lux aperuit etc. hanc subiecit adnotationem: „Haec et quae sequuntur usque ad finem ca„pitis, itidemque paucula quaedam ex ea narratione, quae praecessit de eluso Spartaci „fraude Varinio, undenam sumpserit Freinshemius, nulla diligentia reperire potuimus; „nec quicquam omnino de hoc Spartaci facto in Sallustianis Fragmentis exstat, quae ta„men hic in editione Douiatiana ad marginem allegantur." Haec ille, quum Muratorii

Bimard la Bastie, Baro Montis Seleuci, quum haec ipsa Salustii Historiarum fragmenta, quae ab aliis iam pridem evulgata esse ignorabat, monumenti antiqui [16]), sive annalium maximorum, sive librorum linteorum, Romae in aede Monetae adservatorum, particulas esse, perquam ridicule opinaretur [17]), eorum exemplar, inter schedas Iacobi Augustini de Chevanes, Iurisconsulti quondam Divionensis, cuius bibliotheca Thomae d'Islan hereditate obvenerat, a. 1728. repertum, summa, ut ait, fide exscripsit atque octo post annis Mutinam ad Muratorium misit, qui illud, nihil fraudis subesse ratus, cum Bimardi dissertatione in Thesauro suo veterum Inscriptionum reposuit [18]). Postea tamen Bimardus ipse, quum tria horum fragmentorum a Dousa iam dudum edita fuisse intellexisset, de iisdem vero ceterisque Freinshemii Supplementa Liviana non consuluisset, erroris vanitatem ita confessus est [19]), ut Salustii haec esse denuo negaret atque codicem

Thesaurus Inscriptionum necdum Lutetiam Parisiorum esset perlatus, de re tum quidem obscura, nunc tamen manifesta scripsit. Vid. Adnotatt. ad Fr. III. lin. 3.

16) Bimardi errorem, quod mireris ac paene indigneris, suscepit Io. Aug. Ernestius in Ind. Hist. ad Cic. s. n. P. Varinius: eumque Rupertius in Comment. ad Liv. Epit. XCV. secutus est. Uterque enim operis Salustiani reliquias fragmentum antiqui monumenti, in quo historia belli servilis descripta fuit, appellare non dubitavit, et Schützius quoque Tom. XIV. p. 414. haec intacta reliquit.

17) In Muratorii Thes. vett. Inscriptt. Tom. I. p. 4. „Annalium maximorum, inquit, aut „librorum linteorum pars quaedam fuisse videntur fragmenta Chevanea; qua gesta anni „u. c. 680. adversus servos fugitivos fuse enarrabantur." Quae quidem quam falsa sint atque inepta, manifestum est ex loco Cic. de Orat. II, 12. cui Bimardus, ut Ciceronis auctoritatem opinionis suae vanitati praetenderet, ibidem haec subiunxit: „Quamvis au- „tem desüsse innuat Cicero post P. Mucium, pontificem maximum, id est anno u. c. 623. „usum, annales in domo pontificis maximi publice proponendi, attamen fieri non desie- „runt, et in libris linteis, sicut antea, scribebantur." Hoc unde rescierit, nemo facile dicat. Cf. Io. Aug. Ernestii Excurs. I. ad Suetonii Caesares, Vol. II. p. 307. sq. ed. Wolf. Dav. Ruhnkenii in Antiquitates Romanas Lectiones Academicae, editore H. C. A. Eichstadio, Part. IV. Ienae, 1822. p. 14. et Fr. Lachmanni Comm. I. de fontibus Historiarum T. Livii. Gottingae, 1822. p. 12. sq.

18) Novus Thesaurus veterum Inscriptionum in praecipuis earumdem collectionibus hactenus praetermissarum, collectore L. A. Muratorio. Mediolani, 1739-42. Tom. I. p. 1. sqq. haec Salustii fragmenta cum Bimardi dissertatione complectitur.

19) In Bimardi Praefatiuncula de Addendis, Mutandis atque Corrigendis in suis Disserta-

Puteaneum, in bibliotheca Joly de Fleury adservatum, qui cum multis aliis inscriptionibus haec ipsa fragmenta quoque ex schedis Chevaneis edita contineat, coniecturae olim propositae suffragari diceret. Quemadmodum autem tria illa fragmenta, quae Dousam primum publicasse supra diximus, permultis operum Salustianorum editionibus adiecta sunt, ita eadem cum tribus reliquis, quae a Freiushemio et Bimardo evulgata esse vidimus, a Carolo de Brosses in Historia reipublicae Romanae[20]) cum Freinshemii plerumque

tionibus, quae in limine Tom. II. Thesauri Inscriptionum a Muratorio editi reperitur, haec exstant: „Sed praeter operarum σφάλματα nonnulla peccavit auctor, quae fateri ma-„vult, quam deprecari aut excusare. Ac primo quidem e sex fragmentis ad bellum ser-„vile spectantibus, quae ipse tanquam inedita protulerat initio Epistolae ad Cl. Murato-„rium, tria iam a saeculo et quod excurrit prodiisse agnovit ad calcem fragmentorum ex „Sallustii Historiarum libris excerptorum. Ea vero sunt quae in laudata Epistola primum, „quartum, quintumque locum occupant; reliqua tria nullibi hactenus in libris editis re-„periri potuerunt. Fragmenta iam edita Andreas Schottus ex codice Petri Danielis, qui „Servii in Virgilium Commentarios complectebatur, descripta communicavit cum Iano „Douza; iste vero statim ipsis auctorem tribuit Sallustium, nullo alio ductus argumento, „praeterquam quod in Sallustii Historiis belli servilis gesta enarrabantur. Bimardus contra „fragmenta quum in schedis Chevaneis reperisset exarata maioribus elementis, ea habuit „pro particula magnorum annalium librorumve linteorum. Atque huic coniecturae suffra-„gari videtur codex Ms. num. 461. e Puteaneis, qui nunc exstant in bibliotheca V. Cl. „Domini Joly de Fleury, in Senatu Parisiensi Regii Procuratoris. Hoc codice continen-„tur inscriptiones bene multae, quas Romae summa diligentia collegerat alter e fratribus „Puteaneis, easque inter leguntur eadem fragmenta, quae hic ex Chevaneis schedis edi-„ta sunt. Quapropter minime crediderim, illa ex Sallustii Historiis decerpta fuisse, quum „et ubique inscriptionum more exarata sint, et nullibi in Sallustii codd. Mss. reperiantur. „At sive Sallustium auctorem agnoscere debeant, sive alium belli servilis scriptorem co-„aetaneum, aut denique pro tabulis habeantur e naufragio, quod passi sunt annales ma-„ximi, residuia; nobiscum accessione fruatur aequus Lector, nostrisque ad ea λείψανα observationibus faveat, si ita meritae sint.“ Ad haec Saxius, Bimardum iure meritoque refutaturus, Onomast. Literar. Part. I. p. 168. „Primum enim, inquit, vana negantis „ratio est, ideo sextuplex istud fragmentum ex Sallustii Historiis decerptum esse videri, „quod maioribus elementis, et ubique inscriptionum more exaratum sit, et nullibi in „Sallustii codd. Mss. reperiatur. Imo legatur ipse Douza ad istud fragmentum p. 1013. ed. „Cort. deinde nego reliqua tria nusquam alibi lecta fuisse. Omnes enim illa quantivis pre-„tii Supplementa Livii Freinshemiana Lib. XCV. §. IX. et X. inspicere iubeo, ubi totidem „paene verbis describuntur.“ Rem totam conficit Nonii Marcelli testimonium, supra not. 5. prolatum, quo Saxius in vana Bimardi sententia refellenda uti debebat.

20) Brossii Histoire de la République Romaine etc. Lib. III. cap. 63. 65. 67. 68. 71. et 72. at-

supplementis ex Latino in Gallicum translata et in fragmentorum Salustianorum editione, quae post Brossii excessum prodiit[21]), ex Muratorii Thesauro ceterisque exemplis, subiecta lectionis varietate, diligenter admodum exscripta, atque ex hac, quam Gerlachius[22]) quoque et Frotscherus secuti sunt, a Schlütero in vernacula operis Brossiani interpretatione[23]) aliquanto negligentius repetita reperiuntur.

Quae quidem praesidia quum ad laborem profligandum atque conficiendum iam dudum comparassem, sed rem totam in tanta errorum varietate et opinionum diversitate ad liquidum confessumque perduci posse desperarem, abhinc annis undecim necopinanti mihi adfertur Niebuhrii epistola, Romae a. d. VI. Calendas Apriles a. 1817. data, in qua ille mihi perquam benevole significavit, se in ea bibliothecae Vaticanae parte, quae Bibliotheca Alexandrina seu Reginae Suecorum vocetur, reperisse illas ipsas schedas antiquissimas, ex quibus Salustii Historiarum fragmenta, quae in Muratorii Thesauro legantur, ab aliis transcripta et edita sint, simulque horum fragmentorum textum tam accurate descripsit sive potius depinxit, ut apographum perfectissimam scripturae vetustissimae et pulcherrimae

que Lib. IV. cap. 5. Tom. II. p. 146–162. et p. 307. sive Vol. III. p. 186–205. et Vol. IV. p. 13. ex Schlüteri interpretatione, fragmentorum translationem continet.

21) Ita inscripta: C. Sallustii Crispi Historiarum Fragmenta. Divione, 1780. Hoc in libello, qui nonnullis operis Brossiani exemplis sine titulo adiectus est, p. 25–28. et p. 33. haec, de quibus agimus, Sallustii fragmenta reperiuntur cum lectionibus diversis, quas non tam ex Dousae opusculo, quo Brossium caruisse supra not. 6. docui, quam ex recentiore aliqua Salustii editione, Freinshemii Supplementis, quae Brossius itidem collaturus erat, prorsus neglectis, petitas esse apparet.

22) In Salustii editione, Vol. I. p. 253. sqq. ubi tamen in textu fragmentorum exhibendo pariter ac varietate lectionum enotanda eam, quae criticos decet, diligentiam magnopere desiderari passus est: eademque Gerlachii incuria, in iis etiam, quae de horum fragmentorum editionibus ex libello meo excerpsit, maxime conspicua, in causa fuit, cur Salustii editioni, a Frotschero adornatae et Vol. I. p. 210. sqq. haec fragmenta complexae, nonnullae adspergerentur labeculae, quae editionis Divionensis ope potuissent elui.

23) Vid. Sallust's Römische Geschichte nach De Brosses, von J. Ch. Schlüter, Vol. III. p. 352–357. ubi in adnotationibus ex Brossii opere excerptis haec Salustii fragmenta literis maiusculis expressa leguntur.

imaginem repraesentet[24]). Iam vero, quum has codicis antiquissimi et pretiosissimi particulas Romae in Bibliotheca Reginae adservari, Niebuhrio auctore constet, non amplius est, quod dubitemus, Vossium et Freinshemium Holmiae inter codices Petavianos has schedas reperisse, easdemque postea, quum Christina, regno deposito, Romae domicilium collocasset, cum ceteris eius libris eodem devectas et post reginae doctissimae mortem, quae in annum 1689. incidit, cum multis aliis codicibus ab Alexandro VIII. pontifice maximo emptas atque in bibliotheca Vaticana repositas[25]), apographa

24) Secundum salutem, ut adsolet, Niebuhrius haec ad me scripsit: „Ew. Wohlgebohren „haben in der sorgfältigen Bearbeitung einzelner zertrümmert erhaltener Bruchstücke von „classischen Schriften nicht nur ausgezeichnete Gelehrsamkeit und Scharfsinn an den Tag „gelegt, sondern auch eine Liebe für das Alterthum und jedes seiner Bruchstücke, die „von einigen verschmäht werden, gezeigt, dass ich mich überzeugt halte, dass Mitthei- „lungen über dieselben Ihnen fortwährend interessant seyn müssen. Dies veranlasst mich, „Ihnen, ohne dass wir uns weiter bekannt sind, eine genaue Abschrift der Sallustiani- „schen Fragmente, aus den uralten Blättern selbst zu übersenden, welche nicht unbe- „deutende Berichtigungen des muratorischen Abdrucks, und einiges mehr, so wie eine „Uebersicht ihres Zusammenhangs darbietet. Jene Fragmente sind jetzt mit einer Menge „anderer, meistens unbedeutender Bruchstücke in einen Band vereinigt, der unter den „lateinischen Handschriften der Bibliotheca Reginae die Nummer 1283. trägt. Die Schrift- „züge sind in meiner Abschrift so genau, wie es sich ohne Durchzeichnung thun liess, „nachgebildet: nur ist die Schrift etwas grösser im Original. Sie stimmen ausserordent- „lich mit den Fragmenten des 91sten Buchs vom Livius überein, obgleich diese weit ele- „ganter geschrieben sind: und es lässt sich aus hiesigen Denkmählern darthun, dass diese „Schriftart im ersten Jahrhundert unsrer christlichen Zeitrechnung gebräuchlich war, wo- „mit ich freilich nicht behaupten will, dass die so geschriebenen Fragmente nicht auch „aus dem zweyten oder dritten Jahrhundert seyn könnten. Für älter als Constantin erkläre „ich sie aber mit der festesten Ueberzeugung." His addere placet, quae idem Niebuhrius in libro: M. Tullii Ciceronis Orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio Fragmenta etc. Romae, 1820. p. 19. de eodem scripturae antiquissimae genere disseruit hunc in modum: „Porro autem alia est huius scripturae familia, quae ab illa priore eo discrepat, quod „literae B et F dimidia parte super ceteras eminent, H autem configuratione ad K pro- „xime accedit: hoc igitur genere scripta sunt fragmenta Livii Sallustiique Romana, Ci- „ceronis Mediolanensia: quum tamen praeter hanc unam diversitatem Virgiliani codicis „Romani et fragmenti Sallustiani mira prorsus sit et quasi fraterna quaedam similitudo."

25) Vid. J. Arckenholtz Historische Merkwürdigkeiten, die Königin Christina von Schweden betreffend. Leipzig und Amsterdam, 1752–61. Part. II. p. 385. sq.

autem Petri Danielis, Puteani et Iacobi Augustini de Chevanes diversis temporibus non ea, qua oportebat, diligentia ex iisdem esse derivata. Eo maioris igitur aestimandum est exemplum docta Niebuhrii manu ex ipsis schedis vetustissimis ita descriptum, ut de antiquo scripturae genere rectius iudicari, fragmentorum textus, librarii mendis ac lacunis maxime deformatus, certius emendari atque suppleri, et, quo ordine singula fragmenta sese exceperint, accuratius definiri possit. Atque externum quidem scripturae habitum quod attinet, in multis ille ad codicum palimpsestorum, Romae, Mediolani et Taurini repertorum, formam proxime accedit[26]), atque librarius; de cuius orthographia in adnotationibus subiectis dicam, textum binis in qualibet pagina columnis, ex quibus deni et noveni plerumque supersunt versus, et continua verborum serie, literis minusculis non nisi bis scripturae unciali interpositis; ita exaravit, ut semel tantum in novi capitis principio literam grandiorem eamque extra lineae spatium proiectam poneret, literarum M et N defectum lineola apposita significaret, vocabulorum terminationem BUS et encliticum QUÊ literis B· et Q· exprimeret, atque literas NT, OS, UA, UL et UO in fine versuum ita coniungeret, ut in unam figuram coalescerent[27]). Permultos autem horum fragmentorum locos, ut nihil dicam de columnae quintae et octavae laciniis, quae a prioribus editoribus neglectae nunc demum ceteris accedunt, ex accuratissimo Niebuhrii apographo vel evidenter corrigi vel probabiliter expleri potuisse, atque tertium praecipue fragmentum, quod neque Freinshemius ex schedis ipsis penitus eruere, neque Bimardus ex vitioso, quo utebatur, exemplo Chevaneo restituere valuerunt, novam plane et multo integriorem faciem induisse, ex diversitate lectionum, quam ex prioribus editionibus excerptam adnotationibus inserui, manifesto apparebit. Quo ordine porro haec Salustii fragmenta, id quod ad eorum emendationem atque explicationem plurimum interest, in

26) Cf. P. I. Brunsii Epistola ad B. Kennicottum de T. Livii Historiarum Lib. XCI. Fragmento p. 333. sq. et quae ibi adnotavimus. Atque haec ipsa fragmentorum Salustianorum cum codicibus rescriptis similitudo effecit, ut codicem, ex quo Freinshemius illa deprompserit, itidem fuisse palimpsestum, olim existimarem.

27) Vid. Fr. III. lin. 11. et VII. lin. 12. Fr. IV. lin, 7. Fr. IV. lin. 4. et VII. lin. 14. Fr. VII. lin. 3. atque Fr. VII. lin. 18. quos locos cum Fr. I. lin. 7. et 20. ubi librarius literas minusculas admiscuit maiusculis, in tabula lithographica exhiberi iussimus. Praeterea de conformatione literarum B, F et H conferas velim not. 24.

codice vetusto se exceperint, uti Freinshemius cum Dousa ac Bimardo omisit investigare et Brossius frustra quaesivit [28]), ita, Niebuhrio digitum ad rei paullo obscurioris illustrationem intendente, probabili admodum coniectura poterit expediri. Quum enim octo, quae nunc iunctim edimus, fragmenta duobus foliis inscripta sint, quorum alterum columnam primam, secundam, tertiam et quartam cum sinistra quintae ac dextra octavae columnae parte, alterum columnam sextam et septimam cum dextra quintae ac sinistra octavae columnae parte continet [29]), priora quattuor fragmenta pariter ac sextum et septimum inter se cohaerere, certum est atque explora-

28) Primum enim Dousa tria edidit fragmenta hoc ordine: I. VII. IV. deinde Freinshemius sex fragmentorum particulas Supplementis Livianis ita inseruit: VII. I. IV. II. III. VI. tum Bimardus totidem fragmenta disposuit hoc modo: I. III. II. IV. VII. VI. denique Brossius quinque fragmenta Historiae reipublicae Romanae ita interposuit: VII. VI. II. I. IV. atque Tom. II. p. 148. haec adnotavit: „Il faudroit avoir l'original autographe même, „pour pouvoir dire s'il est écrit sur deux colonnes par page comme le Tite-Live; si les „feuillets sont écrits au verso, comme il y a toute apparence, etc. Mais ce que je puis „dire sur une matiere que j'ai bien examinée, c'est qu'il ne laisse aucun soupçon de sup„position: que le pages ou feuillets, quoique très-voisins les uns des autres, ayant tous „rapport à la même narration, pourroient ne pas avoir été immédiats et consécutifs: que „s'ils l'étoient dans l'original, les pages ont été en partie coupées d'en haut ou d'en bas, „y ayant lacune de l'une à l'autre: que l'ordre des feuillets, tel que la Bastie l'a coté, „n'est pas trop vrai ni fort exact. Je conjecture même qu'en un endroit ou deux, ce „qu'on trouve écrit de suite dans la même page, pouvoit n'être pas consécutif dans „l'original. Peut-être André Schott, ou un autre, a-t-il transcrit de suite ce qu'il a „trouvé de caracteres lisibles dans les feuillets séparés du vieux manuscrit." Haec opinionum commenta, quae Brossium transversum egerunt, refutare nihil attinet, quum res ipsa loquatur.

29) Niebuhrius columnae tertiae et quartae in epistola ad me data haec superscripsit: „Die „Fragmente finden sich in zwey Stücken, wovon das eine auf dem unten abgezeichneten „Blatte zwey Columnen enthält. An demselben ist rechts von der zweyten Columne dieser „Seite auch noch ein schmaler Streif befindlich, der von einem andern Blatte übrig ist, „und, wie sich versteht, auf einer Seite Enden, auf der andern Anfänge von Zeilen „enthält. Das zweyte Blatt bietet nur eine vollständige Columne und links einen ähnlichen „Streif, der wahrscheinlich von der ersten Columne der ersten und von der zweyten der „zweyten Seite übrig ist. Dergleichen lässt sich nur sehr unbeholfen beschreiben; ich „hoffe aber, dass es doch zu keinem Missverständniss führen kann." Haec magis aperta et perspicua erunt, si fragmentorum textum literis maiusculis descriptum ad Niebuhrii dicta exegeris.

tum [30]). Neque magis dubium esse videtur, fragmentum sextum et septimum quattuor prioribus esse postponendum, quum in primo fragmento Varinii milites partim auctumni gravitate aegri fuisse, partim ex postrema fuga, quum severo edicto iuberentur, ad signa redire noluisse et reliqui militiam detrectasse dicantur, in septimo autem Spartacus, priusquam refecto exercitu adesset Varinius, Picentinis et Eburinis iugis occultus ad Nares Lucanas, atque inde ad Annii Forum pervenisse tradatur. Illud tamen ambigitur, utrum columnae quintae et octavae reliquias, quas Niebuhrius separatim descripsit [31]) et, quum eum Roma digressum hac de re consuluissem, cum schedis ipsis denuo comparare non potuit, recte coniunxerim, an eaedem alio modo sint ita componendae, ut singuli versus sibi invicem aptius respondeant. At quum alii utriusque columnae versus haud dubie cohaereant, alii certissima, opinor, emendatione inter se coniungi possint, et paucissimi tantum nostrae coniecturae adversari videantur, praeterea vero, id quod longe gravissimum est, columnae octavae versus sextus decimus, qui novi capitis initium praecedit, ceteris brevior sit, me, tametsi procul a bibliothecae Vaticanae pluteis remotum, tamen rem acu tetigisse, vel quovis pignore contendere ausim. Ceterum haec duo folia, quae scelestis manibus discissa

30) Idem Niebuhrius in eadem epistola verissime monuit: „Die Anordnung der Folge und „des Zusammenhangs der vier ersten und der zwey letzten unter sich ist nun wenigstens „ausgemacht, und da angestrengte Beschäftigung mit Bruchstücken oft ein wunderbares „Licht über das Fehlende giebt, so wird es Ihnen vielleicht möglich seyn, ungefähr zu „bestimmen, wie viel Zeilen oben, und vielleicht auch unten verloren gegangen sind.“ Quum fragmentum primum et secundum atque sextum et septimum artissime cohaerere videantur, in columnarum parte superiore, id quod Fr. II. lin. 1. residua U litera demonstrat, non nisi unum, in inferiore autem, si a columna secunda et tertia discesseris, nullum versum intercidisse suspicor.

31) De his Niebuhrius in literis ad me datis haec scripsit: „Ich habe geglaubt, dass es „Ihnen angenehm seyn würde, die Fragmente, deren Bearbeitung Sie so grosse Sorgfalt „gewidmet, ganz genau so, als ob Sie das Original vor Augen hätten, zu besitzen, und „habe aus diesem Grunde auch diejenigen Stücke abgeschrieben, welche im Muratori bis „auf Kleinigkeiten richtig stehen. Die von denen, die unsre Fragmente früher abgeschrie- „ben haben, vernachlässigten Streife weniger Buchstaben habe ich aus demselben Grunde „nicht übergehen wollen; obgleich sich auch wohl nicht das allergeringste darüber erra- „then lässt.“ Nihilo minus tamen has quoque particulas, licet in integrum restitui nequeant, ad omnia fragmenta rectius ordinanda maximo nobis usui fuisse, eventus docuit.

dolemus, at nostro qualicunque studio resarta laetamur, non in codice olim integro aliis interpositis fuisse disiuncta, sed pariter atque illa, quae fragmentum Livianum continent [32]), ex medio quaternione deprompta esse, rerum in iis narratarum series docere videtur. Quae quantumvis licet caecis interrupta sit lituris atque lacunis nullo pacto explendis, id tamen luce clarius est, has operis Salustiani reliquias, quae per varios casus ad nostram pervenerunt aetatem, pertinere ad historiam belli, ab exiguis quidem initiis profecti, sed post hominum memoriam crudelissimi ac maximi, quod a Spartaco Thrace, quem parem magis Hannibali quam similem dixeris [33]), cum parva gladiatorum manu Capua profugo, a. 680. sive potius 681. post Romam conditam repente concitatum, varia deinde fortuna extractum, ac tertio demum anno a M. Crasso et Cn. Pompeio confectum est [34]), atque,

32) Non erat, opinor, cur Brunsius in Epistola ad Kennicottum p. 330. hac de re dubitaret, quum rerum a Sertorio in Hispania gestarum narratio per totum Livii fragmentum uno tenore decurrat.

33) Recte et praeclare Meissnerus in Spartaco p. 162. „Dem Spartakus gebrach, um Han-„nibals würdiger Bruder zu werden, nichts als die kleine Zufälligkeit, dass Hamilkar nicht „sein Vater war.“ His adde Plutarch. Crass. cap. 8. ubi, quum narrasset, fugitivos tres sibi duces elegisse, haec adiecit: ὧν πρῶτος ἦν Σπάρτακος, ἀνὴρ Θρᾷξ, τοῦ Νομαδικοῦ γένους, οὐ μόνον φρόνημα μέγα καὶ ῥώμην ἔχων, ἀλλὰ καὶ συνέσει καὶ πρᾳότητι τῆς τύχης ἀμείνων, καὶ τοῦ γένους Ἑλληνικώτερος. Atque hanc ipsam Spartaci lenitatem ac mansuetudinem Salustius etiam, qui multo integrius et incorruptius, quam Florus III, 20. aliique Romani, de gladiatorum principe iudicasse videtur, Fr. VI. lin. 17. 18. atque Fr. VII. lin. 16-19. optime praedicavit.

34) De bello servili, quod Spartacus commovit, conferantur ex antiquioribus Plutarch. Crass. cap. 8. sqq. Appian. Bell. Civ. I, 116. sqq. Caecilius apud Athen. VI, 21. Themist. Serm. VII. ed. Hard. ibique Petav. p. 86. Liv. Epit. XCV-XCVII. Vellei. Pat. II, 30. Pseudocic. de Harusp. Resp. cap. 12. Plin. Hist. Nat. XV, 29. Gell. Noctt. Att. V, 7. Frontin. Strat. I, 5, 20. sqq. I, 7, 6. et. II, 5, 34. Flor. III, 20. Eutrop. VI, 7. Ampel. cap. 41. Augustin. de Civ. Dei III, 26. Oros. V, 24. Horat. Carm. III, 14. 19. sq. Lucan. II, 554. Claudian. XXVI, 155. atque ex recentioribus prae ceteris Freinshemii Supplem. Liv. LX-LXII. in locum libb. XCV-XCVII. T. Livii, Brossii Histoire de la République Romaine, Lib. III. cap. 58.-72. Lib. IV. cap. 2-14. 50-60. et 64-71. Meissneri Spartakus. Berlin, 1793. atque Bauri Gemählde der merkwürdigsten Revolutionen etc. Ulm, 1810. 11. Vol. I. p. 15. sqq.

ut pressius definiam, res primo huius belli anno, M. Terentio Varrone Lucullo, C. Cassio Varo consulibus, per auctumnum a fugitivis Romanisque gestas complecti. In tanta igitur horum fragmentorum praestantia, quae et Salustii nomine et rei gravitate nititur, si ad rerum in iis memoriae proditarum atque ab aliis scriptoribus praetermissarum cognitionem, ex qua magnus ad illorum, quibus haec gesta sunt, temporum historiam redundabit fructus, depravata emendando et lacunosa supplendo aliquid saltem contulero atque aliorum studia ad eundem post me laborem subeundum excitavero, operae pretium fecisse existimabo.

Literarum notae

ex Niebuhrii schedarum Vaticanarum exemplo descriptae

A B C D E F G H I L M N O P Q

R S T U X

Scripturae compendia.

I, 4.	IV, 9.	I, 12.	III, 8.
QUAᷣ	TAMEᷣ	DEEUNTIB·	UNDIQ:
am	en	bus	que

III, 11.	VII, 12.	IV, 7.	IV, 4.
EXPLORAREN	TRAHEBAN	ĪCOGNITŌ	LINGUA
nt	nt	in / os	ua

VII, 14.	VII, 3.	VII, 18.
QUICQUAᷣ	SIMŁ	QO
uam	ul	uo

I, 7.	I, 20.
FUGITIU'S	QUATTU·R

Vocabula mutilata.

I, 3.	II, 8.	V, 9.	VI, 6.	VII, 2.	VIII, 5.
NECESSARIı	MUNIAEı	QUAMC	PRIL	.INCRES	IBAIOS

I.

. . . .

NITOR EREQUIB·PRAETER
SPECIEMBELLONECESSARIA
HAUDMULTOSECUSQUA~
FERRONOCERIPOTERATAT
UARINIUSDUMHAECAGU~
TURAFUGITIUISAEGRAPAR
TEMILITUMAUTUMNIGRA
UITATENEQ·EXPOSTREMA
FUGACUMSEUEROEDICTO
IUUERENTURULLISADSIG
NADEEUNTIB·ETQUIRELI
QUIERANTPERSUMMAFLA
GITIADETRACTANTIB·MILI
TIAMQUAESTOREMSUUM
C. THORANIUMEXQUOPRE
SENTEUERAFACILLIMENOS
CERENTUMMISERANTETTA
MENINTERIMQUOMUO
LENTIB·NUMEROQUATTUOR

II.

. . . . . . U . . . .

NISOPERIB·COMMUN . . .
DEINDEFUGITIUICON . . . .
TISIAMALIMENTISNEP . . .
DANTIB·EXPROPIN . . . . . .
TISINSTARETSOLITIM . . . . .
LITIAEUIGILIASSTA . . . . . .
Q·ETALIAMUNIAEA . . . .
SECUNDAUIGILIA . . . . . .
CUNCTIEGREDIU . . . . . .
LICTOBUCINAT . . . .
TRISETADUIGIL . . . .
PROCULUISEN . . . . . .
XERANTFUL . . . .
RECENTIAC . . . .
BROSIGN . . . .
MIDIN . . . .
RIN . . . .
TU . . . .
. . . .

III.

. . . .
. . . INITIIS CONUERTERES . .
. . . INIUSMULTAIAMLUCÉ
. . . , DERANSSOLITAAFUGI
. . . . . . CONUICIAETINCAS
. . . . ONIECTUSLAPIDUM
. . . . . CSTREPITUSTUMUL
. . . . ISONORESUNDIQ·
. . . . UMMITTITEQUITES
. . . . UMCIRCUMPRO
. . . . UTEXPLORARENT
. . . . PROPEREUESTI
. . . . SCREDENSLO
. . . . OLAMENAG
. . . . AUENSSE
. . . . DUPLI
. . . . , CUMAS
. . . . CA
. . . .
. . . .

IV.

. . . .
ALIQUODDIESCONTRAMO
REMFIDUCIAAUGERINOS
TRISCOEPITETPROMILINGUA
QUAUARINIUSCONTRAS
PECTATAMREMINCAUTAE
MOTUSNOUOSINCOGNITOS
Q·ETALIORUMCASIB·PER
CULSOSMILITESDUCITTAME~
ADCASTRAFUGITIUORUM
PRESSOGRADUSILENTISIAM
NEQ·TAMMAGNIFICESUME~
TISPROELIUMQUAMPOSTU
LAUERANTATQ·ILLICERTA
MINICONSILIIINTERSEIUS
TASEDITIONEMERANTCRI
XOETGENTISEIUSDEMGAL
LISATQ·GERMANISOBUIAM
IREETULTROFERREPUGNA~
CUPIENTIB·CONTRASPAR

V.

. . . .
NISE . . . .
NEQUA . . . . O
IDTEMP. . . . . M
Q·SECLU. . . . . M
ETEXTIN L
CURAM . . . . IS
SETHAU . . . . MO
QUAMC . . . . UD
ALIAM . . . . SPE
ENDAM . . . . PR.
DENTES . . . . MI
NOBILE . . . . PAU
DANTQ· . . . . RE
PARSSTO . . . . TSAD
FLUENT . . . . OFI
DENSAU . . . . EPATRI
AEINME . . . . UMI
SERUU . . . . IUM
PRAE . . . .

VI.

. . . .
CON . . . .
TIMU . UUIDL . . MADEIN
CEPSMONETIN . AXIOAIS
AGROSMAGISQ· PE . URIO
UTEGREDIANTURUBIPRIU.
QUAMREFECTOEXERCITU
ADESSETUARINIUSAUGER.
TURNUMERUSLECTISUIR . .
ETPROPERENANCTUSIDO
NEUMEXCAPTIUISDUCEM
PICENTINISDEINDEEBURI
NISIUGISOCCULTUSADN.
RISLUCANASATQ·INDEPRI
MALUCEPERUENITADAN
NIFORUMIGNARISCULTO
RIB·ACSTATIMFUGITIUICO.
TRAPRAECEPTUMDUCIS
RAPEREADSTUPRUMUIRG.
NESMATR . . . SQ·ETELUC

VII.

. . . .
. . . . INCRES
TANTESEILLUDEBANTSIMUL
NEFANDUMINMODUMPER
UERSOUOLNEREETINTER
DUMLACERUMCORPUSSE
MIANIMUMOMITTENTES
ALIIINTECTAIACIEBANTIG
NISMULTIQ·EXLOCOSER
UIQUOSINGENIUMSOCI
OSDABATABDITAADOMI
NISAUTIPSOSTRAHEBANT
EXOCCULTONEQ·SANCTU~
AUTNEFANDUMQUICQUA~
FUITIRAEBARBARORUM
ETSERUILIINGENIOQUAE
SPARTACUSNEQUIENSPRO
HIBEREMULTISPRAECIB·QUO
MORARETCELERITATEPRAE
UERTERE . . . . . SNUNTIOS

VIII.

. . . .
. . . . NE
E. . . . . MENSU~
O. . . . . SCRUDE
L. . . . . UBAIOS
A . . . . GRAUISPLE
R . . . . ILLUMDI
EA . . . . NOCTEM
IB . . . . ODUPLI
CA . . . . ORUMNU
ME . . . . RIMACU~
LU . . . . NCAMPO
SAT . . . . NOSEDIFI
CIS . . . . ETTUM
MAT . . . . SERANT
AUT. . . . . NTA
SEDINO . . . . NODIEGNA
RIEX . . . . UMORUM
FUGI . . . . UENTA
. . . . MNIB·

C. SALUSTII CRISPI
HISTORIARUM LIB. III. FRAGMENTA
PASSIM EMENDATA ET SUPPLETA.

. . . . nitor aere, quibus praeter speciem bello necessariam haud multo secus quam ferro noceri poterat. At Varinius, dum haec aguntur a fugitivis, aegra parte militum autumni gravitate, neque ex postrema fuga, cum severo edicto iuberentur, ullis ad signa redeuntibus et, qui reliqui erant, per summa flagitia detractantibus militiam, quaestorem suum C. Thoranium, ex quo praesente vera facillime noscerentur, miserat. Et tamen interim cum volentibus numero quattuor ...... u .... *castra mag*nis operibus commun*ita.* Deinde fugitivi, con*sumpt*is iam alimentis, ne p*rae*dantibus ex propin*quo* *h*ostis instaret, soliti m*ore mi*litiae vigilias sta*tiones*que et alia munia fa*cere,* secunda vigilia *noctis* cuncti egredi*untur. Re*licto buccinat*ore in cas*tris et ad vigil*um speciem* procul visen*tibus ere*xerant ful*ta arboribus* recentia *cadavera et cre*bros ign*is fecerant.* ... midin .... rin .... tu ... . initiis convertere. S*ed V*ar*i*nius multa iam luce .... derans solita a fugi*tivis* convicia et in cas*tra* coniectus lapidum, *ad haec* strepitus tumul*tuos*i sonores undique *praedanti*um, mittit equites .... um circum pro*speculatum,* ut explorarent .... propere vesti .... s credens lo .... solamen ag .... *p*avens se .... dupli .... cumas .... ca .... *Post* aliquot dies contra morem fiducia augeri nostris coepit et promi lingua. Qua Varinius contra spectatam rem incaute motus novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu, silentis iam, neque tam magnifice sumentis proelium, quam postulaverant.

Atque illi certamine consilii iuxta seditionem erant, Crixo et gentis eiusdem Gallis atque Germanis obviam ire et ultro offerre pugnam cupientibus, contra Spar*taco* .... nis e .... ne qua .... o id temp .... mque seclu .... m et extin .... l curam .... isset hau*d* .... mo quamc.......... *al*iud aliam .... spe endam .... pr.dentes .... mi nobile .... pau dantque ....re pars sto......... ts adfluent .... .o fidens au*xilio* ...e patriae in me .... nmi servu............. ium prae .... con .... timu.uuidl ..ma deinceps monet, in . axioais agros magisque pe.urio ut egrediantur, ubi, priusquam refecto exercitu adesset Varinius, auger*e*tur numerus, lectis viri*s* et propere nanctus idoneum ex captivis ducem Picentinis, deinde Eburinis iugis occultus ad N*a*ris Lucanas, atque inde prima luce pervenit ad Anni Forum, ignaris cultoribus. Ac statim fugitivi co*n*tra praeceptum ducis rapere ad stuprum virg*i*nes matro*na*sque et eluc .... incestantes ei illudebant, simul nefandum in modum perverso volnere et interdum lacerum corpus semianimum omittentes: alii in tecta iaciebant ignis, multique ex loco servi, quos ingenium socios dabat, abdita a dominis, aut ipsos trahebant ex occulto, neque sanctum aut nefandum quicquam fuit irae barbarorum et servili ingenio. Quae Spartacus nequiens prohibere, multis precibus cum oraret, celeritate praevertere *missos* nuntios .... ne e............... mensum o.. .... s crudel .... ubaios a.......... gravis pler.......... ..illum diem .... noctem ib*i* ....o duplica*to* *arma*torum numer*o*, ... *prima* cum luc*e* .... *in* campo sat .... aedificiis .... et tum mat*ura* *in agr*is erant autu*mnalia frum*enta.

Sed in o........no die gnari ex..........umorum fugi............uenta .... omnibus....

Haec hactenus. Alteram enim huius commentationis partem, quae adnotationes criticas iamiam absolutas continebit atque cum altera, quam nunc emisimus, operum Salustianorum editioni a Frotschero inchoatae aliquando adiicietur, quo minus hoc tempore addamus, angustiores impediunt limites, quibus hanc scriptionem coercere necessitate cogimur. Itaque illud agamus, quod unum nobis restat, ut in diem perendinum indicamus anniversaria Scholae Afranae sollennia, eo maiore pietate et religione celebranda, quo uberiorem nobis beneficiorum, quae per superioris quoque anni decursum plurima ac maxima accepimus, recordatio laetandi et gratulandi materiam praebebit. Etenim, ut alia taceam, quae insigni Regis Augustissimi gratia et provida Summorum Virorum, quibus Scholae nostrae salutem concreditam esse gaudemus, cura nobis contigerunt haud paullo maiora, nuperrime Viri Illustrissimi et Generosissimi, Detlev Comes ab Einsiedel atque Ioannes Augustus Fürchtegott a Globig, ex voluntate eorum, qui in Britannia hoc agunt, ut librorum sacrorum studium apud exteros quoque propagetur et adiuvetur, undecim Veteris ac tria Novi Testamenti exempla, typorum atque chartarum splendore maxime conspicua, muneris eximii loco ad nos transmiserunt. Horum igitur bina quotannis vel terna, exceptis iis, quae, ne huius beneficii memoria unquam abolesceret, in publica Scholae Afranae bibliotheca reposuimus, discipulis theologiae operam navaturis, qui linguae hebraicae et graecae scientia ceteris excellunt, praemiorum loco decernentur, accedentque annuis illis praemiis, quae Virorum Praestantissimorum, quos Afra quondam sinu suo fovit, liberalitate ac munificentia ante hos septem annos ita sunt constituta, ut alumnorum Regiorum studia ad virtutis et doctrinae decus appetendum magis magisque excitarentur. Atque huic consilio perquam laudabili eventum egregie respondisse, per haec etiam, quae nunc quum maxime paramus, sollennia publice testabuntur decem iuvenes nobis in disciplinam traditi, qui et ipsi animi gratissimi sensu perfusi, et communis omnium pietatis interpretes futuri oratiunculas et carmina, non nisi passim manum emendatricem experta, hoc deinceps ordine recitabunt:

Gustavus Henricus Waetzel, Dresdensis, in scholarum publicarum flore unicam eandemque uberrimam patriae spem esse repositam, oratione latina docebit.

Carolus Otto a Kyaw, Dubenensis, praeclarum Tiedgii illud: *Die Einsamkeit ruht in der Fluth des Weltgewühls, wie eine stille, verborgne Friedensinsel*, carmine germanico explicabit.

Ludovicus Guilielmus Lorenz, Haynensis, spem Saxoniae laetissimam de Friderico Augusto Alberto, Principe recens nato, nuperrime conceptam carmine latino eoque lyrico eloquetur.

Henricus Rudolphus a Kyaw, Dresdensis, fiduciam in hominum virtute et probitate collocatam uberrimum verae felicitatis fontem esse, oratione vernacula demonstrabit.

Hermannus Gustavus Hoelemann, Baudensis, praematuram Tzschirneri mortem, quae non amicos tantum patriamque communem, sed Germaniam universam adflixit, nenia hebraica deplorabit et germanicam eius interpretationem subiunget.

Hermannus Mauritius Budich, Muscaviensis, aequabilem animi tranquillitatem carmine graeco eoque elegiaco celebrabit.

Christophorus Arndtius ab Egidy, Ottersitiensis, futura cum praeteritis artissima necessitudine coniungi, oratione vernacula declarabit.

Carolus Emilius Mareschallus a Bieberstein, Leucopetraeus, ipso anni tempore admonitus messorum labores et delicias carmine latino eoque elegiaco describet.

Fridericus Henricus Iulius Bruno a Larisch, Haynensis, Schilleri versum: *Ein grosses Herz kann nie das Unglück beugen*, carmine germanico exponet.

Ferdinandus Gruhle, Stauchensis, quantam vim habeat consuetudo cum viris sapientibus et probis in mentes animosque hominum, oratione latina docebit.

His igitur optimae spei iuvenibus ut eam, qua saepe alias magnopere laetati sumus, frequentiam et audientiam praebere, atque pro Regis Augustissimi salute et patriae universae incolumitate vota nobiscum suscipere velint, omnes omnino cives huius urbis eiusque accolas, qui nobis et rebus nostris bene cupiunt, ita rogamus atque obsecramus, ut hoc favoris et benevolentiae documentum, quo nihil disciplinae nostrae alumnis ac nobismet ipsis neque ad voluptatem iucundius, neque ad existimationem honorificentius evenire poterit, nulla unquam oblivione obscuratum iri spondeamus. Scr. in Schola Regia Afrana ipsis Calendis Quintilibus CIↃIↃCCCXXVIII.